



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Mortem Christianis ex aqua & S. S. renatis, & Christi Passione ac Cruce redemptis, non debere esse formidabilem : D. Cypriani Episc. & Martyris consolatio. xxv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

minis ascendit. Hinc Apostolus Paul. scribit: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, eternam in calis.

2. Cor. 5.

Quinta: Vehementer animare nos debet & consolari Auxilium IESU CHRISTI: qui infirmitates nostras accepit, & agrotationes nostras portauit. Cuius tanta est potentia, ut facile eos curare possit, de quorum salute spes nulla relinquitur: bonitas tanta, ut quos hinc migrare velit, nunquam deserere possit. Ideo dixerat: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Et S. Stephano, cum lapidaretur, calis apertis ostensus est stans a dextris virtutis Dei: nempe ut nos quoque illuc oculos & animum sustollamus, praesidiumq; certissime adfuturum expectemus. Qui ideo etiam participauit carni & sanguini, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolus: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Proinde si Christus victor est mortis: utique & suos in ipsa morte sustinebit, misertus infirmitatis humanae, quam ipse quoque portare dignatus est.

V.
Math. 8.

Math. 28.

Act. 7.

Hebr. 2.

Mortem Christianis ex aqua & Spiritu sancto renatis, & Christi cruce ac passione redemptis, non debere esse formidabilem, S. Cypriani Consolatio.

Sermone de
Mortalitate.

MOri timeat, qui ex aqua & Spiritu sancto renatus non est: qui non Christi cruce & passione censeatur. Mors Iudeis & gentibus, & Christi hostibus pestis est. Dei autem seruis salutaris excessus est. Qui ergo spe viuimus, & in Deum credimus, & Christum pro nobis passum esse, & resurrexisse, confidimus, in ipso

CAPVT
XXV.

E 4

manentes,

manentes, & per ipsum, atque in ipso resurgentes, quid ipsi recedere istinc de seculo nolumus: aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus? ipso Christo Domino & Deo nostro monente & dicente: Ego sum Resurrectio & Vita: qui credit in me, licet moriatur, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in eternum. Si in Christum credimus, fidem verbis eius & promissis habeamus: & non morituri in eternum, ad Christum, cum quo victuri & regnaturi semper sumus, leta securitate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur: nec potest vita aeterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus iste, sed transitus: & temporali itinere decurso ad aeterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem, & ad caelestis gratiae dignitatem venire citius exoptet? Paulo Apostolo predicante: Nostra autem conuersatio in caelis est: unde & Dominum expectamus Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae. Tales nos futuros, & Christus Dominus pollicetur: quando, ut cum illo simus, & cum illo in aeternis sedibus viuamus, atque in regnis caelestibus gaudeamus, Patrem pro nobis precatur, dicens: Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi fuero, & ipsi sint mecum: & videant claritatem, quam mihi dedisti, priusquam mundus fieret.

Quis optimus moriendi modus.

CAPVT.
XXVI.

Esa. 32.

Optime moritur, qui in Fide, Spe, & Charitate moritur. His enim tribus comparatur recta illa constitutio, & hilaris ac bona spe perfusa animi aequitas. Hinc Esaias de pulchritudine pacis, de tabernaculis fiducia, & requie opulenta concionatur. Hinc David

Rex